

**05**

**A**

**2315**





I. N. S. S. T  
*De*  
ORIGINE  
ANIMÆ HUMANÆ

Contra  
CREATIONIS DEFENSORES  
*pro*  
TRADUCE  
Publicè disputabunt  
PRÆSES

M. GEORGI, CASPAR KIRCHMAIER

Uffenhemio-Francus.

&

RESPONDENS  
JULIUS HARTMANNUS

Curlandus.

*Ad diem. 28. Julij*

in Auditorio Philosophorum:

*Horis Pomeridianis*

*Anno Salutiferae Generationis*

*M. DC. LVIII.*

---

WITTEBERGÆ

*Ex Typographiâ JOHANNIS BORCKARDI*

*Anno M. DC. LVIII.*

KARL MARKERT  
Wissenschaftliche  
Buchhandlung  
+ LEIPZIG +  
C1 Robert Schumann Str. 12

V I R I S

*Maximè Reverendà Dignitate Amplissimis, Excellentissimis &c.*

DN. JOHANNI SCHARFIO

pariterque

DN. ABRAHAMO CALOVIO

DOCTORIBUS THEOLOGIS FAMIGERATISSIMIS,  
PROFESSORIBUS PUBLICIS CELEBRA-  
TISSIMIS,

Templi Cathedralis Præposito: Ecclesiæ Wittebergensis Pastori,  
Vigilantissimis,

Consistorij Ecclesiastici Assessoribus  
Gravissimis:

Collegij Theologici Seniori &c.

Circuli Electoralis Superintendenti Generali &c.

DNN. PRÆCEPTORIBUS, MECOENATIBUS,  
FAVITORIBUS, OPT. MAX.

*Præsentem qualemcumq;*

*in*

*Submissæ Venerationis documentum,*

*gratisfimi affectûs*

*monumentum,*

*de*

Natalitijs Animæ Humanæ

Disertationem,

*observanter tamen*

*D. D. D.*

Obsequiosus Cultor

M. GEORGIUS CASPAR KIRCHMAIR U. F.



05 A 2315



O. A. D. G.

Prodromus.

**A**ugusta res est & amœnitatum plena, nosse sui ortum. Parvum equidem videtur dictu, sed immensum æstimatione fit. Si quid aliud in Philosophiâ præclari est, hoc est, SE IPSUM NOSSE. Demonax interrogatus, ecquando philosophari cœpisset? cùm me ipsum cognoscere cœpi, respondit. Nosse autem non animum duntaxat, sed & ipsa corporis animæq; natalitia oportet. Ehem, quàm minuta humanæ prolis sunt primordia! Pauca seminis sanguinisq; guttæ animali divinissimo auspicia largiuntur! His principiis pusillis & ferè nullis nascuntur Reges & ministri, infulati ac sordidi, æquè Pistor atq; Pastor. Non magnificentior ortus hujus, alterius est ortu. Uterq; æquè oritur, uterq; æquè moritur. Vestiganda hæc naturæ sunt secreta, & quid sub recessu habeant, rimanda. At! ô nos infelices! quàm salebrosa via est! ut obstructa sentietis horret. Nemo simplici ferè contentus falso est. Ut splendidiora fiant, duplicanda vana sunt. Dixerat pridem Creator optimus: crescite & multiplicamini, & replete terram: dixerat hoc, & quieverat ab omni, quod patrârat, opere Deus. Dixerat, & dicendo concesserat, ut formam forma, ut corpus corpus, ut simile simile generaret. Itaq; à formâ forma fit, non à materiâ, non è materiâ. A formâ forma fit, non creatur, non educitur, non inducitur supernè. Quid hodiè pleriq;? creatur, ajunt, anima, educitur, inducitur, non traducitur. Contraveniendum falso est, & obliterandum glossema tale. At ita communi

A 2

arbi-

arbitrantur? Esto. Non sunt actutum optima, quæ communi assensu recepta, sine accuratiori veritatis indagine statuminantur. Sæpè per manus traditur error: sæpè præjudiciis obsessi animi sunt, & contra veritatem disputat multitudo. Enim verò quâ hîc procedendum viâ? Sapientiæ nervi sunt, non sentire populariter, nec credere vanis. Quanquam, si error planctus foret, multorum ædes dudum personuissent ejulatu. Nunc cum sub herbâ angvis occultus latitet, stringendus maturè est, ne pariat morsum. Ut ne igitur fallacia alia aliam trumat, almam denudemus veritatem. Faxit Deus ut FELICITER!

*THEOREMA REMOTIVUM:*

*Anima Humana nec omnes simul & semel creata intra Hexaemeron Mosaicum ante corpora sunt: Nec adhuc hodieq; immediatè à Deo Glorioso creantur.*

§. 1. Una est & simplex veritas, sed non sine vanitatum cumulatissimarum appendicibus, falsitas. Ex vero verum nascitur. Ex amputata falsitatum hydrâ, decem monstrosi partus pullulant. Admissâ semel immediatâ animæ humanæ, in hâc quidem generationis viâ, creatione, quanta, Deum immortalem, sequuntur absurda!

§. 2. Pudet propemodùm maleferiatorum commenta judæorum narrare eruditis. Ajunt illi, inquit princeps præposterorum Abrahami posterorum, hâc tempestate scriptor *R. Menasseh Ben Israel* (alludit verò ad *R. Mos. Ben Nachman*, seu *Gerundinensem*, ad *R. Lipman* in *Nizachon*, ad *R. Bechai* in *Breschit Rabba*) *animas à Deo creatas esse, ante quidem corpora, ilicò à primordio mundi, tùm cum crearentur ceteri quoq; spiritus, Angeli.* Tædet & referre, imposuisse hoc quicquid est delirij, Divino quoq; *Platoni*, non minùs ac *Origeni*.

*Lib. de creat. probl. 15. 16.*

*Conf. Eund.*

§. 3. Refutaremus insipidum figmentum isthoc, nisi indi-

indignum disquisitione, sponte suâ rueret. Finge ama- *circa diff.*  
bò, creatas sic animas simul omnes ac semel esse; unde *de creat.*  
probaturus sis, ambigent sapientiores. Adhæc, Divi *primi*  
nus Moses, unum duntaxat, uni individuo, vitæ spiracu- *Hom. part.*  
lum à conditore DEO in sufflatum esse, memorat. *post. num. 5.*  
Quid? quòd animæ per se competat, proprium infor-  
mare corpus: per accidens verò & præternaturaliter exi-  
stere seorsim. Igitur inhabitare hospitium suum debu-  
it antè, quàm seorsim, nondum exstructo, cui immo-  
raretur, diversorio, existere. Est enim per se conveni-  
ens, prius conveniente per accidens. Ut raceam, quanta  
inde emerfura sint paradoxa.

§. 4. Alterum verò quod concernit; Anne hodieq;  
Deus, immediatè, & exclusis ab hoc opere, producenti-  
bus parentum animabus, animas humanas creet? pun-  
ctum, est istud longè operosissimum, & haud dubiè, si  
quidem indulgendum crenæ foret, magnum scribendi  
nobis aperiturum campum. Pretium operæ igitur factu-  
ros nos speramus si à primo causæ capite rem arcessa-  
mus. Ubi, quidnam creatio præcisè sit, & quid potissi-  
mum hîc loci observatum velimus, prænotandum.

§. 5. Julius Cæsar Scaliger, Vir omni præconio, quan-  
tum cunq; ei attribueremus, major, Creationem defi- *Exerc.*  
niturus generatim: est, inquit, illa constitutio substan- *XVII sect.*  
tiæ ex nihilo. Ex nihilo inquam, ut est terminus, non ut *12. 13.*  
est materia. Nos ita. Creatio est actio Dei, quâ virtute  
infinità producit substantiam ad sui gloriam. Dividitur  
in primam, seu immediatam, & secundam seu media-  
tam. Illa, est actio Dei, quâ ex nihilo producit substan-  
tiam. Sic in principio fecit Deus cælum & terram. Hæc,  
actio Dei, quâ ex materiâ ineptâ & indispositâ producit  
substantiam Pisces ex aquâ: jumenta è mari. Utriusq;  
inquit Philosophus in tantum accuratus, in quantum  
huma-

humana intelligi sapientia potest, B. Martini, creationis fit mentio in primo Geneseos capite. De primâ loquitur Moses, versu statim primo: In principio creavit Deus coelum & terram, atq; hâc creati & facti sunt Angeli, anima item Hominis. De secundâ creatione loquitur Moses potissimum, quando docet, quomodo pisces, animalia reliqua, arbores, & corpus humanum creata sint. De nostrâ ut constet sententiâ, præmissam de mediata & immediatâ creatione, distinctionem, alieniore non nihil sensu tamen, repetitam hic loci volumus. Ferire ergo neutiquâm nos possunt, quæ ex decantatissimo in Scripturâ, Physico Jobo: (quem, quod obiter notamus, aut Moses, *σὺν Ἰσραήλ* fuisse, vel ad minimum sub Patriarcharum tempora vixisse, ex selectissimo Merceri in ipsam Jobum commentario, & Polhystore Clüvero certi sumus) Ecclesiaste, item, atquè aliunde copiosè conquisita, quòd Deus nos creârit, in contrarium adferuntur.

Exerc. 192.  
sect. 2.

§ 6. Quanquàm etiam de omnibus, in universum formis atq; animabus corporum naturalium, assertam Traducem eamus, generationemque, quam vocant uni vocam, ubique in naturâ obtinere, *δὲς διὰ πασῶν* asseveremus nihilominùs tamen nunquã de iisdem moturi controversiam, sed speciatim de formâ, seu animâ Hominis, ejusdemq; per creationem ortu, nostram instituturi sumus indaginem. Ut non sit, cur diversitatem fingat subtilior justo hîc illustris Scaliger: in homine, inquit, longè alia ratio est. Advenit enim â coelo nostra creata anima post fætus articulationem, quâ animâ tunc massa illa, homo fit. Hoc est, quod dissentienti nobis præbet ansam.

§ 7. Apprimè verò distinguenda tempora sunt, ne, quod naturæ proprium, DEO, & quod DEO proprium, naturæ tribuatur. Quandoquidem immansi saltu distent  
â se



â se tunc & nunc: natura instituenda, & natura instituta. Ibi quippe per creationem uniuersa, quotquot facta sunt, facta esse, is iturus fortè est inficias, qui cum Aristotele æternitatem mundi stabiliet profanè. Negat distinguenda tempora, distinguendas è contrario formas ipsas esse, asserit Nonnemo. Bellissime! Distinguendæne, te consule, formæ erunt, quæ specie eadem, quales creabantur primitùs, generantur ex asse? Arbores tunc creabantur, nunc generantur eadem. Distinguenda tempora ergo. Non formæ, non naturæ.

*In Medic.  
Excel. Sper-  
lingio op-  
positis cap.  
3. quest. 3.*

§ 8. Negamus verò simpliciter, omne id, quod fit ex nihilo, creari actutum. Esto tamen hoc tantisper, dum subsumamus: Species intelligibiles omnes, omnes item à nobis acquisiti habitus, & innumera alia entia immaterialia fiunt ex nihilo. Per te igitur creabuntur? Et homo creator? Ô nos infinitos! *ἐν ἀκυρολογεῖν* nimirum. Quid ergo, ut creatio vera sit, requiritur adhuc? Infinita nimirum, agentis infiniti, & ex non-ente ens producentis, Actio & Potestas. Videantur quæ accuratè atquè affatim dicta sunt à Dexterrimo Naturæ interprete Nostro. Verba sunt: cæterùm pervasit opinio per hominum animos, cuiusvis entis ex nihilo productionem, creationem, esse. Eò processere quidam, ut habitus etiam mentis nostræ, scientiam, sapientiam & prudentiam ex materiâ fieri scripserint. Ne forsan creentur, si ex nihilo trahant ortum. Iidem, fidem, spem & charitatem, è potentiâ materiæ educi, somniant. Nihilominùs asse-verare non ausi fuimus unquam, creaturæ in potestate esse, ut ex nihilo ens producere materiale queat. Immaterialiale verò quod possit, probaturâ de animâ rationali mox sumus.

*Tract. de  
Subtilitat.  
in Scal. Me-  
dic. 17. eff. 2.  
p. 476.*

§ 9. Cæterùm, ne quis de potentiâ Dei absolutâ frustranea nobis faceffat negotia, præmonendum hoc adhuc

huc restat, nos nequaquam de eo, quid possit Deus, si velit, præstare: Sed quid secundum communem naturæ cursum fiat, loqui. Certè non est abbreviata manus Domini, creat enim adhuc malorum anteaambulones in superis coeli laquearibus cometas, creat & repræsentat inusitata in aëre & chasmata & mira dira phasmata. Concludendumne, te argumentaturo, à posse hoc ad esse est? Potis est creare immediatè animas Deus. Creat igitur. Nugæ!

§. 10. Præmissis hisce: Deum immediatè, exclusis parentum animabus producentibus, in Naturà jam institutà, ubi creationi successit generatio, nequaquam creare animas nostras, confirmaturi non numero, sed pondere sequentium ratiociniorum sumus.

(1) à Divina rerum immediatè creatarum & ad integritatem mundi essentiali spectantium, cessatione.

A quocunque Deus semel quie vit, illud hodièque, eo modo quidem, iteratò non facit: A creatione animarum immediatè &c. E.

(2) à Divinà, cum erga species alias, tum præcipuè humanam benedictione.

Quicquid virtute benedictionis divinæ, & quidem non tam verbalis quàm realis crescere, & multiplicare se debet, ejus propagatio ad immediatam Dei creationem nequaquam pertinet:

Homines omnes. F.

(3) ex absurditatum consecutione.

Si Deus immediatè creat animam, homo hominem verè non generabit: at hoc absurdum & absurdum Igitur & prius. Consequentia stabilitur hoc modo. Q. e. non communicat potiore & nobiliorem partem hominis essentiali, is reverà hominem non generat.

Rectè

Rectè alibi B. Meisnerus, falsum est, inquit, hominem  
hominem generare, tametsi, animam rationalem ei prin-  
cipaliter non communicet. Nego tibi hominem posse  
esse sine animâ humanâ. Unde tandemcunque erimus  
è ligno tignove exsculpti Mercurij, aut, ut gratulari ad-  
huc liceat, enthei.

§. II. Profectò loqui si posset Natura, indignissimè se  
ferre clarissimis testaretur verbis, adimi sibi, præter mul-  
ta alia, hanc quoq; facultatem: producendi hominem.  
Nunc cum patrocinium suiâ veritatis confessoribus so-  
licitet, sistendi in apricum Adversarij sunt, quorum  
suppresso nomine, adducturi argumenta sumus.

§. 12. Occurrunt verò qui primâ illicò in acie locant,  
ex generabilitate necessariò sequentem mortalitatem.  
Argumentum tale foret. Omne generabile est mor-  
tale: Anima Humana non est mortalis. E. nec generabi-  
lis. Sed *ὁ ἀκόλασθαι*! cur non similiter quoque? Omne  
ingenerabile immortale. Salve ergo cœlum immortale!  
salve nunquam morti obnoxie future Orion! salvete  
vos, cum immortalitate vestrà, aer, aqua, terra, ignis,  
elementa! Non igitur ex generabilitate mortalitas, si-  
cuti nec ex ingenerabilitate immortalitas actutum argu-  
enda. Adhæc, nonne in innocentix statu anima ho-  
minis imagine divinâ adhuc radiantis, æquè generabilis  
generataque fuisset? despectâ mortalitatis formidine.

§. 13. Nec quicquam causæ nostræ derogabit hoc quic-  
quid est objectiunculæ: quod ne ullus quidem post Aug.  
tempora, animæ humanæ per propagationē generandæ,  
extiterit Patronus. Ut enim nihil in præsentī dicam, quid  
de auctoritatibus non fultis almâ veritate, habendum  
sit Philosopho, contrarium non minus graviter quam  
copiose adduxit, omnium instar videndus Plurim. Rev.

B

atque

*In Harmon.* atque Excellentiss. Theologus, DN. D. CALOVIUS,  
*Calixt. Pa-* obsequiosè Venerandus Præceptor, ad quem benivolum  
*pist. sect. 3. p.* Anagnosten ablegatum volumus.  
*461<sup>o</sup> seqq.*

§ 14. Negamus etiam procedere: Si natura potenti-  
am generandi animam habet, habebit & perdendi. Ec-  
quid verò hoc dicti? Ut tamen juvetur collectio isthæc,  
ita rem complectamur. Si natura potest facere ex non-  
ente ens, poterit quoque ex ente facere non-ens: contra-  
riorum quippe contraria ratio. Sed natura non potest  
facere ex ente non-ens: non enim potest animam anni-  
hilare, nisi quis professum cum Plinio errare errorem  
velit, immortalitatem animæ Democriteam vanitatem  
proclamante. Verùm enimverò, ut pacificè antece-  
dentis cum consequente cohærentiam transire patia-  
mur, minorem simpliciter negamus. Quidni enim ex  
ente non-ens facere natura possit? Occidatur canis, anni-  
hilabitur anima ejusdem. Transverberetur aprugnus:  
destruetur anima ejusdem. verbo, bruta cuncta jugulata,  
ente aliquo, superstite licet corpore, & in minima sua re-  
solvendo, animam exuentur totaliter. Nisi cum Fortu-  
nio Liceto, Italo, Præclaro alioquin Viro, formas brutales  
in alias abire ac degenerare à corpore separatas, in-  
auspicata metamorphosi, statuere præsumas. Sed age  
dijudicemus probationem, & ad animam à quâ digres-  
si paullùm sumus, rationalem revertamur. Ubi parum  
roboris præsentis subesse sequelæ, quis non videt? non  
perdere natura hominis animam rationalem potest.  
Non igitur generare. Pergamus hac via: Natura cervi  
non perdere animam cervinam potest, nec, si posset, vel-  
let. Ergone nec generare aliam? Sed à superiori, inquit,  
homine, nimirum, aliove illam violenter impetente  
agente annihilari forma cervi utiq; potest? Rectè. Et  
à superiore agente DEO, aboleri & ipsa nostra potest:  
quid verò indè?

§ 15. Pin

§. 15. Pinguis autem iste, cui supra in distinctionibus intendebamus elenchum: Si in primo rerum molimine omnes formæ creatæ sunt. Ergo etiam hodiè omnes creabuntur. Imitemur saltem: Si in primo rerum molimine omnia corpora creatæ sunt, uti sunt, E. etiam hodiè omnia creabuntur? Ô si non ita saltuatim à tunc ad nunc, immane quantum rueremus!

§ 16. Quin nec hic nos ferit hebetatus aries: Q. forma non fuit iussa à DEO prodire ex terrâ, sicut animantium brutorum animæ, sed reservata actioni creativæ DEI, illa forma non habet essentiam generatione, sed creatione producibilem. Anima rationalis &c. E. Major constat, inquit, quia non potest dari ratio cur DEUS animam rationalem exemerit à materiali productione. Negamus enim & hic antecedentis cum consequente connexionem, quælo verò quid est propria illa, cujuslibet rei producibilitas. Essentia siquidem indifferenter se habet cum ad creationem, tum ad generationem. Negamus item, non posse rationem dari, cur DEUS animam rationalem exemerit à communi rerum materialium producendarum censu. Voluntas Domini est ratio facti. Vide sis omninò ea quæ dicta jam olim sunt à Magnifico DN. SPERLINGIO, in, de Traduce Tractatu, & repetita postliminiò in Synopsis defensione adversus Obtrectatorem.

§ 17. Alius quispiam non incelebris inter suos Philosophus, creationem stabiliturus, suas, confutatis nostris, confirmare avertiones. Ait enim: Si anima traducitur per sui multiplicationem, explicent mihi, cur anima rationalis magis possit multiplicari, quàm Angeli? Utrobique enim par ratio. At Angelus non producit alium Angelum. Ergò nec anima nostra ali-

*Volum. I.  
Meletem.  
disp. 6. Thes.  
6. p. 26. &  
Vol. 2. disp.  
28. p. 104.*

am

am productura animam est. At verò parem utro-  
que rationem, Angelum inter atque animam huma-  
nam esse, verum simpliciter non est. Ille quippe  
Spiritus completus, hæc incompletus. Horum Spi-  
rituum multiplicatio est: non istorum. Pars ho-  
minis est anima rationalis. Homo autem benedi-  
ctionem hanc accepit. Plura, si Numen annuat, alio  
fortassis tempore. Manet interim quòd  
immediatè anima rationalis  
à Deo non Creetur:

eui laus & gratiarum actio!

**F I N I S.**



05 A 2315 (1)


**ULB Halle** 3  
003 791 483  


1017









I. N. S. S. T  
*De*  
ORIGINE  
ANIMÆ HUMANÆ

Contra  
CREATIONIS DEFENSORES

pro  
TRADUCE  
Publicè disputabunt

PRÆSES

M. GEORGI, CASPAR KIRCHMAIER

Uffenhemio-Francus.

&

RESPONDENS

JULIUS HARTMANNUS

Curlandus.

*Ad diem. 28. Julij*

in Auditorio Philosophorum:

*Horis Pomeridianis*

*Anno Salutiferae Generationis*

*M. DC. LVIII.*

---

WITTEBERGÆ

Ex Typographiâ JOHANNIS BORCKARDI

Anno M. DC. LVIII.